



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117778

§. 28. Hæresis Arianæ initium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](#)

ges in favorem Christianorum mutatæ, Sæculum IV.
 quorum continentia nulla pœna, sed po- A. C. 321.
 tius præmio digna erat. Alia lege Con-
 stantinus supplicium crucis abolet, antea
 apud Romanos usitatum. Rursus alia
 lege partibus litigantibus jurisdictionem
 Magistratum Sæcularium declinare per- *Ibid. c. 8.9.*
 mittit, & Episcoporum sequi judicium;
 sententiæ eorum tales auctoritatem at-
 tribuit, ac si a se ipso lata fuisset, Magi-
 stratibus, & eorum Ministris injungens,
 ut eas executioni darent. Ita Episcopo- *Const. Ap.*
 rum arbitrio, quod jam antea inter Chri- *l. II. c. 46.*
 stianos maximi ponderis erat, auctorita-
 tem a lege civili conciliavit.

§. XXVIII.

Hæresis Arianæ Initium.

In hoc rerum statu Ecclesia majus, quam *Sozom. I.*
 unquam antehac, ab hoste interno *c. 15.*
 subiit periculum, quod eidem Arii Pres-
 byteri Alexandrini hæresis creavit. Is
 ex Libia oriundus, & aliquamdiu schisma
 Meletii secutus, eo deinde relicto, S. Pe-
 tro Episcopo Alexandrino reconciliatus
 est, qui eum ordinavit Diaconum; sed
 Ecclesia postmodum ejecit, quod se ob
 excommunicatos Meletii Sectatores re-
 prehenderet. Cum S. Petrus anno 311. *Sup. l. IX.*
 ad recipiendum Martyrii præmium avo- *§. 37.*
 laffet ad Cœlos, Sedes Alexandrina uno *Eus. VII.*
Hist. Eccles. Tom. III. G an-

Sæculum IV. anno vacavit, cui successit Achillas jam
A. C. 321. sub S. Theona Presbyterio functus, &
Gelas. Cyz. scholæ Christianæ Alexandrinæ Magister
t. II. c. 8. vir gravissimus, magno animo, & vita
Sozom. I. puritate insignis, ex cujus actionibus pie
c. 15. tas, & sapientia elucebat. Is Arium ve
v. Pagi. an. niam deprecantem suscepit, ad suan
311. n. 19. communionem admisit, officio Diacon
Theod. I. defungi passus est, & tandem ad Presby
hyst. c. 1. teratum evexit. S. Achillas non ult
Epiph. hær. aliquot menses Sedem Alexandrinam to
69. n. 2. nuit, quo defuncto anno ferme 313. ele
Sozom. I. ctus est Alexander, vir irreprehensibilis
c. 15. Doctrina Apostolorum æmulus, facun
dus, Clero, & populo charus, lenis
affabilis, liberalis, & charitate in paupe

Arius tunc temporis non solum Pres
 byteratus honore gaudebat, sed etiam
 prædicationis officium, & cujusdam Ec
 clesiæ cura ipsi erat demandata, nam plu
 res Alexandriæ, ubi populus Fidelis con
 veniebat, numerabantur. Tales Eccle
 siæ novem nominantur, & in unaquaque
 earum Presbyter præsidebat, & SS. Scri
 pturas explicabat, ad eum prope modum,
 quo istud in nostris Parochiis fit. Illa,
 in qua Arius fuerat Præpositus, Baucalis
Theod. I. dicebatur. Sed Episcopatum sperave
hyst. 2. rat, & Alexandrum sibi fuisse prælatum
 impatientissime ferebat; cum in mori
 bus ejus nihil esset, quod reprehenderet,

Doctri-

Doctrinam ejus calumniandi ansam quæ-Sæculum IV.
rebat, quæ, ut optabat, oblata est. Dum A. C. 321.
Alexander in Cœtu Presbyterorum, & ^{Socrat. I.}
aliorum Clericorum de Sancta Trinitate ^{hist. c. 5.}
differit, in Trinitate unitatem esse affir- ^{Sozom. I.}
mat; Arius hac ratione hæresin Sabellii ^{c. 15.}
induci contendit, & disputationis fervo-
re abreptus in alterum extremum inci-
dit, dicens: *Si Pater genuit Filium, qui
genitus est, habet suæ existentiæ initium,
ex quo sequitur, fuisse tempus, in quo Fi-
lius non erat, & esse ex nihilo productum.*
Addebat, Dei Filium esse opus ejus, &
creaturam, libero suo arbitrio virtutis,
& vitii capacem, & plura alia, quæ ex
malo principio sequebantur. Nova erat
hæc Doctrina, & haec tenus inaudita;
econtra S. Alexander cum tota Ecclesia ^{Theod. I. I.}
docebat, Filium Dei esse cum Deo ejus- ^{c. 2.}
dem Dignitatis, & substantiæ.

Primo quidem Arius venenum in col- ^{Epiph.}
loquiis privatis sparsit, ita ut malum ali- ^{hær. 69.}
quamdiu lateret; ubi vero audiri se vi-
dit, & magno Sectatorum numero defen-
di, publice suam opinionem docere cœ-
pit. Presbyteri alii, qui Ecclesias Ale-
xandriæ regebant, non minora sibi, quam
Ario licere rati, diversa docebant, quo-
rum nulli Sectatores defuere; ex his no-
tissimi sunt Colluthus, Carponas, & Sar-
matus, sed duo ultimi Ario se junxerunt,
qui copiosam turbam Virginum, Diaconos

Sæculum IV. nos duodecim, septem Presbyteros, imo
A. C. 312. & Episcopos non nullos in suam senten-

Epiph. hær. tiam traxit. Ingenium ei Natura dede-

69. n. 3. & rat, ad seducendos alios factum; ætas
Petav. p. jam senilis, virtutis, & zeli ingens spe

284. cies erat, habitus externus ad modestiam

compositus, altitudo corporis supra vul-
garem, vultus severus, & quasi pœnitentia
operibus maceratus, vestitus rigidus
nempe tunica sine manicis, & palliolum
arctum, ab habitu monastico non abhor-

rens. Alloquium ejus mansuetum, noi-
injucundum, aptum ad persuadendum;
erat etiam Arius in Dialectica, & scien-
tiis profanis haud peregrinus; eum S.
Alexander initio paternis exhortationi-
bus ad saniora reducere conabatur, tan-
ta patientia, ut ea multis nimia videre-
tur; inde enim Colluthus causam præte-

xuit, conventus agendi, & ordinand

Presbyteros, quasi potestatem Episcopæ

Athan. Ap. lem habens, dicebatque, hac sibi opus
p. 732. esse auctoritate, sine qua Ario resisteret

non valeret. Fertur etiam hæresin schis-

Aug. hær. mati junxisse, docens, Deum non esse
65. auctorem malorum, quibus genus huma-

num affigitur, quasi vero hæc mala ad

Dei Justitiam relata non essent bona. At

Colluthi secta ætatem non tulit.

Arii hæresi latius serpente, S. Alexander Clerum suum convocat, facta Ario
libertate suam opinionem propugnandi.

Duo.

Duobus habitis colloquiis, nihil actum, Sæculum IV.
 quod ad concordiam reducendam face- A. C. 321.
 ret, tandem S. Episcopus videns hunc
 errorem Alexandria in alias urbes dima- Ruf. I. c. 1.
 nare Concilium congregavit, in quo una- Soz. I. c. 15.
 nimiter Presbyter Arius, Diaconi Achil-
 lus, Euzoius, Aithales, Lucius, Sarma-
 tus, Julius, Menas, alter Arius, & Hella-
 dius, nempe Diaconi novem, excommu-
 nicati sunt. Hoc factum circa annum Ath. or. I.
 320. Scripsit epistolam Synodalem ad in Ar. p.
 omnes Episcopos, Doctrinæ Apostolicæ^{305.}
 Defensores, atque inter alios ad Philogo-
 num Antiochenum, Eustathium Bereen-
 sem, ad Episcopum Byzantium, seu is Theod. I. I.
 fuerit Metrophanes, adhuc in vivis, seu c. 3.
 Alexander. Epistolam Alexandri Alexan-
 drini ad Byzantium habemus, in qua su-
 per hac materia loquitur in hunc modum:

§. XXIX.

S. Alexandri Epistola prima.

Arius, & Achillas nuper in Ecclesiæ rui-
 nam conjurarunt. Quotidie diu, no-
 etuque concurrunt, calumniis calumnias
 contra JESUM Christum, & me ad-
 jiciunt. Sanctam Doctrinam Aposto-
 licam reprobat, Salvatoris nostri Divi-
 nitatem negant, Judæis nibilo meliores.
 Nullam diem sine seditionibus, & persecu-
 tionibus transigimus. Mulieres pervica-